



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**Gasparis Lechneri E Societate Iesv Theologi. Sodalis  
Parthenivs. Siue Libri Tres Qvibvs Mores Sodalivm  
Exemplis Informantvr**

**Lechner, Kaspar**

**Dilingæ, 1628**

Sodalibvs Romanis Et Confoederatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51916)



# SODALIBVS ROMANIS ET CON- FOEDERATIS.

**S**eptennium est, OPTIMI SODALES, cum Ingolstadiensis Sodalitatis Academicae praeses libellum hunc primo conscripsi; atque late per omnes ferme Societatis nostrae prouincias missi, tum ut quam plurimis prodesse me velle ostenderem, tum vel maximè, ut ab omnibus impetrarem si quid in edito corrigi, si quid addi vellent, ad me mitteretur. Quod quidem ab aliquis praestitum est; ab aliis etiamnum expectatur. Interim cum plures vrgerent, ut denuo Sodalium Parthenium in lucem ederem, nolui desiderio iusto deesse, &  
):( 6 quæ



## P R Æ F A T I O

qua postea contigisse reperi, aut qua ab aliquibus perscripta sunt adieci.

Scribendi autem iterumq; edendi *Causas Fidem, Modum, Ordinē*, quisquis hæc leges, prius te docebo, quàm ad hunc libellum perlegendū accedas. Neque festinanti id molestum esse debet. Sic enim & *utilius* & *expeditius* leges: *utilius*, si *cognoris*, quo fine scriptus sit: *expeditius*, si *fidem*, si scribendi rationem perspexeris; namq; horum ignarue, hærebis subinde, dum de veritate ambigis, dum miraris, dum indignaris multa interseri, quæ historiam abrumpunt.

*Causæ multæ sunt. Princeps, B. MARIE Virginis honor est, quam causam è cæteris perspicies. Altera, ut optimorum Sodalium præclarissima facta in lucem proferatur. Ex quo fiet, ut Sodalitatis dignitas incla-*



## AD LECTOREM.

inclarescat quod ex illa, quasi Athe-  
neo quodam, prodeant omnibus  
virtutibus præditi; quodq; B. VIR-  
GINIS patrocínio ad præstantia  
quæq; gerenda moueantur. Tertia  
fuit, ut breuissimè Sodalem ad vir-  
tutem educeremus. Nam Sodalium  
Parthenium multi ante nos excel-  
lentibus præceptis ad eam vitæ de-  
genda rationem, quam Leges de-  
scribunt, efformauere. Nos doctri-  
nae compendium quæsiuimus, EX-  
EMPLA: quibus ubique, quam  
maximus orbis est, Sodales ad om-  
nem virtutem nobis breuissimam  
viam patefecere. Nam multi mor-  
taliū ita comparati sunt, ut præ-  
cepta à rebus separata ad se parum  
pertinere arbitrentur; & Naturæ  
infirmitas sæpè obtenditur, cum  
præcipi videntur homine maiora.

Sed ubi aliorum usu atque exerci-

) : ( 7 ta-



P R Æ F A T I O

tatione agitari ea conspiciunt , qua  
difficilia videbantur , imbelles ani-  
mos ad audendum exuscitant , atq;  
paria , & non rarò fortiora perpe-  
trant. Atq; ita , quæ præceptorum  
vi nunquam fierent , illa Exemplo-  
rum virtute præclarè geruntur. De-  
niq; Stimulum Virtutũ hunc libel-  
lum esse volui. Nam sæpe audiui  
ego , ait Sallustius , Q. Maximũ ,  
P. Scipionem præterea ciuita-  
tis nostræ præclaros viros soliti  
ita dicere , cum maiorum  
imagines intuerentur , vehe-  
mentissimè animũ sibi ad vir-  
tutem accendi scilicet nõ ce-  
ram illam , neq; figuram , tan-  
tam vim in se habere : sed me-  
moriã rerum gestarum eam  
flammam egregijs viris in pe-  
ctore crescere : neq; prius se-  
dari , quam virtus eorum famã  
atque



AD LECTOREM.

atq; gloriam adæquauerit. Ita  
Sodales nostros cogitatu-  
ros puto. Cū enim tot  
Modestiae, Religionis, For-  
titudinis, Misericordiae, Charita-  
tisque exempla; cum in edomando  
corpore feruorem, in meditando as-  
siduitatem, in iniurijs ferendis pa-  
tientiam; cum deniq; perfecti Soda-  
lis formam quandam ante oculos  
eorum cōstitutam inspexerint, pra-  
clarissima flamma vehementissimè  
in pectoribus illorum accendetur  
atque crescet; neq; prius sedabitur,  
quam eorum virtus famam atque  
gloriam aliorum adæquauerit. Nec  
diffiteor precipuam hanc mihi scri-  
ptionis causam fuisse; optimaq; spe  
teneor Sodales nostros, ut ad exter-  
nos mores componendos libenter a-  
liena exempla imitantur, ita ad a-  
nimi compositionem & ad cultum  
Parthenium alacriter exterorum  
quo-



P R Æ F A T I O

quoq; factis vsuros. Nam vera virtus imitatio laudem habet, ex quocunque sumpta sit.

Alterum caput erat, ut tibi fidē probarem meam. Quā id proclive foret, si viros grauiſſimos, quos auctores habeo, nominare vellem? sed tacendi causas habeo, atq; exemplū C. V. Iusti Lipsii, qui in Exemplis Politicis tempore & loco rei gesta contentus, cætera omisit. Fateor alia Lipsij ac mea conditio fuit: scripta eum sua tutantur & notum nomē. Mihi ab his necdum adminiculum est. sed fide eādē hęc scripsi. Notavi annum: locum designavi: in Sodalium, apud quos ea gesta aut euenisse cōmemoro, manus venturum hoc opus noui; quorum ego censurā merito vererer, nisi bonæ fidei conscius mihi forem. Ex singulorum Sodalitiorum actis ad se perscriptis

Au-



## AD LECTOREM.

*Auctores describere; inde ego excerpti: quæ de Ingolstadiensibus & Dilinganis narro vel egomet vidi, vel in Commentarijs Congregationum reperi. Errorem non omnem excuso; neq; enim Deus sum. Quantum tamen licuit, euitare laboravi.*

*Modus fuit, ut succinctè factū narrarem, & in similibus historiæ concursu leuandi tædij causæ gnomen aliquam adpersi: subinde causas, modosq; virtutis acquirenda, aut vitij extirpandi attuli, ut in omnibus Lectori prodessem, si facti lectione excitaretur ad imitandum, sciret quæ ratione posset. Genus scribendi facile & sine fuco secutus sum, non tamen enerue nec horridum, ut in Lectoris animum incundè rerum cognitio utiliterq; influeret. Quæ properanti aliisque in rebus occupato præter voluntatem*  
*tur.*



## P R Æ F A T I O

turbatiora aut incultiora elapsa sunt, patienter feret Lector, dum meliora edantur. Quod omninò futurum spero, si Sodalium Romanorum, & Duacensium qui noua huic editioni multa præclara suppeditarunt, exemplum imitati fuerint aliorum quoque locorum Sodales; atque ut in priore editione rogauerã, suggesserint, quæ vel addenda vel abenda iudicauerint. Quod ut ant, iterum illos obtestor.

Ordinem denique hunc secutus sum, quem ante oculos pono.

## D I V I S I O.

Liber primus Sodalium Parthenij ea quæ ad Sodalitiorum originem, leges, cõsuetudines, celebritates pertinet, complectitur. Adieci personas quæ vel sanguinis Nobilitate, vel vitæ sanctitate Sodalitia illustrarunt, quod ad commune Sodalitiam



## AD LECTOREM.

*litatum nomen celebrandum spectare iudicavi.*

*Liber secundus virtutum singularium Exempla continet ea methodo, ut post Humilitatis exempla illa ponantur, quæ circa Deum sunt; tunc quæ operantem instruunt; denique quæ officium erga alios edocent.*

*Liber Tertius Beneficia explicat, quæ vel in Sodales collata, vel eorum precibus in reliquos derivata sunt. Pœna quoque contemtoribus aut negligentibus seu desertoribus Sodalitatum irrogata describuntur.*

*Hæc te, Lector amice, monere volui. Fructu ac faue, ac Magnam Matrem MARIAM Virginem, per quam bona omnia in mortales descendunt, nobiscum lauda atque ama.*

IN-